

Canonizzazione di Ignazio di Loyola

Di
Antonino Lo Nardo



Papa Gregorio XV canonizza
sant' Ignazio di Loyola e san Francesco Saverio
Dipinto di Anonimo del XVII secolo -
Chiesa del Gesù, Roma

La storia e l'agiografia ci tramandano che Ignazio di Loyola è stato canonizzato, assieme a Francesco Saverio, Filippo Neri, Teresa di Gesù e Isidoro Labrador, il 12 marzo 1622 nella Basilica di S. Pietro a Roma dal Papa Gregorio XV (v. **Fig. 1**).

Pochi sanno che quel Papa (al secolo Alessandro Ludovisi), cagionevole di salute per natura, trascorse la maggior parte del suo breve pontificato - durato soltanto poco più di due anni - confinato a letto (soffriva di gotta).

Tale circostanza gli impedì di concludere l'iter burocratico della canonizzazione con la firma della bolla ufficiale.



Fig. 1 - *Gregorio XV in un ritratto di Guido Reni*

Si è dovuto attendere, perciò, l'avvento al soglio pontificio del suo successore Maffeo Vincenzo Barberini che fu eletto Papa con il nome di Urbano VIII il 6 agosto 1623.

Lo stesso giorno della sua elezione il nuovo pontefice firmò la Bolla di canonizzazione sanando, così, un *vulnus* burocratico anche se i nuovi santi erano già, diffusamente, oggetto di culto e adorazione da parte dei fedeli.

Per avere una versione a stampa di quel documento si dovette attendere il 1623. Essendo, certamente, una pubblicazione estremamente rara, riteniamo utile mettere a disposizione degli studiosi l'allegata versione elettronica.

Per la celebrazione in S. Pietro fu predisposto un imponente apparato scenico del quale ci resta, per fortuna, testimonianza in alcune incisioni dell'epoca (v. Fig. 2).






Fig. 2 - Apparato scenico in S. Pietro per la cerimonia del 16 marzo 1622

Tutti i membri della Compagnia di Gesù furono particolarmente entusiasti e felici per la doppia canonizzazione. Nelle principali istituzioni della Compagnia di Gesù furono, perciò, organizzati dei festeggiamenti particolari. La descrizione di quegli avvenimenti fu, in molto casi, poi riportata in volumi specifici che, conservatisi, ci danno ancora oggi - a distanza di 400 anni - testimonianza diretta di quei giorni di festa.



S. M^e D. N.

D. V R B A N I DIVINA PROVIDENTIA P A P A E V I I I.

Bulla siue litteræ decretales Canonizationis S. IGNATII
Loiolæ Societatis IESV Fundatoris.



ROMÆ, Ex Typographia Reu. Camerae Apostolicæ.
M. D C. X X V I.

VRBANVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam .



ATIONI congruit, & conuenit æquitati, vt ea, quæ de Romani Pontificis prouidentia processerunt, licet eius superueniente obitu litteræ Apostolicæ desuper confectæ non fuerint, suum debitum consequantur effectum. Dudum siquidem felicitatis recordationis Gregorius Papa XV. prædecessor noster, piè attendens, quòd ineffabilis Dei bonitas, & misericordia, quæ miro consilio suis quæque temporibus aptè disponit, & præteritis sæculis, siue ad disseminandum Euangelium inter-

gentes, siue contra subnascentes hæresiarchas, destinauit plures sanctitate, ac doctrina illustres viros; nouissimis temporibus, cum pij Lusitanorum Reges in longinquas Indiarum terras, ac remotissimas Insulas late patentem vineæ Domini propagandæ aditum aperuissent; nec minorem Catholici Castellæ Reges nouum in Orbem ad Occidentem repertum patefacerent; veterem autem Religionem, omnemq; illius sanctitatem, ac perfectioris vitæ professionem Lutherus, monstrum teterrimum, aliæq; detestabiles pestes blasphemiarum linguis in Septentrionis partibus corrumpere, & deprauare, ac Sedis Apostolicæ auctoritati detrahere conarentur; excitauit spiritum IGNATII LOIOLÆ, qui ex medio honorum cursu, & à sæculari, & terrena militia admirabili quadam ratione vocatus, ita se diuino imperio regendum, & formandum tradidit, vt demum noua Societatis IESV, quæ inter alia pietatis, & charitatis opera Gentilibus conuertendis, hæreticis ad fidei veritatem reuocandis, & Romani Pontificis potestati tuendæ ex instituto se totam impendit, religione fundata; vitam admirabili sanctitate traductam sanctissimo pariter concluderet exitu, ac plurimis sit miraculis illustratus; eiusdem Ignatij catalogo Sanctorum adscriptioni, de qua dudum agebatur, decreuit intendere. Quippe increbescente in dies in diuersis mundi partibus ipsius Ignatij sanctitatis fama, & miraculorum gloria; cum claræ memoriæ Philippus Secundus, & Philippus Tertius; Hispaniarum Reges Catholici, & Maria similis memoriæ, Maximiliani Secundi Romanorum Regis Illustris, in Imperatorem electi, & Margarita dicti Philippi Tertij Regis coniuges, necnon plures Ecclesiarum Præsules, & Populi, vnà

eam dilectis filijs Præposito, & alijs dictæ Societatis Religiosis, apud piæ mem-
Clementem PP. VIII. etiam prædecessorem nostrum, oblati illi processibus,
per diuersos locorum Ordinarios, etiam auctoritate tunc existentis Sedis Apo-
stolicæ in Regnis Hispaniarum Nuncij, super prædictis sanctitate, & miraculis
fabricatis, pro litterarum remissorialium, & compulsorialium, ad faciendos pro
canonizatione progressus, concessione institissent; ipseq; Clemens prædecessor
oblatos processus, & petitionem ad dilectos filios nostros, tunc suos, S. R. E.
Cardinales super Sacris Ritibus deputatos, discutiendos commisisset; dictiq;
Cardinales petitioni prædictæ satisfaciendum esse censuissent, si ita eidem Cle-
menti prædecessori placuisset; & dictus Clemens prædecessor morte præuentus
nihil desuper constituere potuisset: similis record. Paulus PP. V. similiter præde-
cessor noster, repetitis per dictos Principes, ac Præpositum, & Religiosos, ac
nouis, per claræ etiam memoriæ Henricum Quartum Francorum, & Nauarræ
Regem Christianissimum, porrectis instantijs permotus, prædicto Gregorio præ-
decessori, tunc in minoribus constituto, & officio Auditoris causarum Palatij
Apostolici fungenti, ac dilectis filijs Alphonso Manzanedo, & Ioanni Baptistæ
Pamphilio, etiam causarum earundem Auditoribus, dedit in mandatis, vt cau-
sam huiusmodi in statu, & terminis, quibus reperiebatur, reassumentes, coniu-
ctimq; procedentes, acta omnia, & probationes perpenderent; & si opus esset,
alios testes super vita, & miraculis eiusdem Ignatij per se, & alios ab eis subde-
legandos, de nouo in genere reciperent, & super his suum ipsorum interpone-
rent iudicium: vt si ex ijs constaret, inquisitiones, probationes, ac processus
huiusmodi esse legitimè factos, causamq; sufficienter esse instructam, ea posset
ipse Paulus prædecessor exequi, quæ Sanctorum dogmata, & sacrorum Cano-
num postulant instituta. Vnde dicti Auditores visis, & diligenter discussis pro-
cessibus coram eis exhibitis, censuerunt cum illis debere coniungi processus au-
dioritate Apostolica conficiendos: & ad hunc effectum per se ipsos in Romana
Curia, & per nonnullos Archiepiscopos, & Episcopos extra eam, in diuersis
mundi partibus ab eis subdelegatos, iuridicos processus super præmissis confici
curarunt. Quibus, iussu eiusdem Pauli prædecessoris, ad eosdem Cardinales su-
per Sacris Ritibus, vt præfertur, deputatos transmissis, & per eos visis, & perpen-
sis; idem Paulus prædecessor, ex sententia eorundem Cardinalium, quod di-
ctus Ignatius Beatus nuncupari, & de eo Missa, & Officium de communi Con-
fessoris non Pontificis celebrari posset, benignè concessit, & indulxit. Et deinde
cum preces eorum, qui pro canonizatione eiusdem Beati Ignatij institerant, fie-
rent in dies auctiores; volens idem Paulus prædecessor in huiusmodi causa se-
cundum consuetudinem S. Sedis Apostolicæ procedere, eisdem Auditoribus
per speciale rescriptum mandauit, vt processus factos etiam de nouo perpen-
derent, & alios testes super veritate præmissorum in specie diligentissimè exa-
minarent, & ipsi Paulo prædecessori referrent. Quod quidem mandatum Au-
ditores prædicti exequi, prout par erat, volentes, causam similiter de nouo ex-
cutere ceperunt: & alios quamplures testes super eisdem præmissis per se ipsos
receperunt in dicta Curia; & per alios ab eis subdelegatos extra eam examinari

curarunt: ac nonnulla iura ad causam facientia ex Archiuio dictæ Societatis ex-
traxerunt: & Alphonsus, ac Ioannes Baptista Auditores prædicti, necnon dile-
ctus filius noster Franciscus, eiusdem S. R. E. Cardinalis Sacratuſ nuncupatus,
tunc, tanquam Archiepiſcopus Damascenus, vnus ex Auditoribus cauſarum di-
cti Palatii locumtenens, & in locum dicti Gregorij prædeceſſoris, qui iam ad Ec-
cleſiam Bononiensem aſſumptus fuerat, ſubrogatus, in pluribus Congregatio-
nibus inter eos habitis, de nouo fabricatos, & alios proceſſus prædictos etiam
perpenderunt: illoſq; legitimè conſectos, ac probationes in eis contentas rite,
& rectè peractas, ac ſanctitatem, & miracula ſatis, ſuperq; probata fuiſſe præ-
dicto Paulo prædeceſſori retulerunt. Cumque, ipſo Paulo prædeceſſore viam
vniuerſæ carnis ingreſſo, dictus Præpoſitus eiufdem Societatis humiliter apud
Gregorium prædeceſſorem prædictum inſtituiſſet, vt ad vltiora in Canoniza-
tione eiufdem Beati Ignatij procedere dignaretur; idem Gregorius prædeceſſor
illius petitionem benignè audiens, relationem, vt præfertur, factam, ad eoſdem
Cardinales, ſuper prædictis Sacris Ritibus deputatos, recognoſcendam etiam
remiſit. Cumque, pendente dictæ relationis diſcuſſione, ſuperueniſſent chariſſimi
in Chriſto filij noſtri Ludouici Francorum, & Nauarræ Regis Chriſtianiſſimi pri-
mum; mox verò nobilis viri Maximiliani vtriuſque Bauariæ Ducis, & ſucceſſiuè
etiam chariſſimi in Chriſto filij noſtri Ferdinandi Romanorum Regis, in Impe-
ratorem electi, preces acceſſiſſent; dictiq; Cardinales relationem prædictā com-
probaiſſent; Venerabilis frater noſter Franciſcus Maria Epicoſopus Portuenſis, eiuf-
dem S. R. E. Cardinalis à Monte nuncupatus, rei ſummam, ſuamq; & alio-
rum, vt præfertur, deputatorum Cardinalium ſententiam in noſtro, tunc eiufdem
Gregorij prædeceſſoris, conſiſtorio ſecreto expoſuit: & alij, qui in illo conſiſto-
rio aderant Cardinales, dilecti filij noſtri, in eandem ſententiam deuenerunt,
poſſe videlicet dictum Gregorium prædeceſſorè, iuxta ſacros dictæ S. R. E. ritus,
dictum Beatum Ignatium inter Sanctos referre. Quare idem Gregorius præde-
ceſſor ad vltiora procedi mandauit. Voluerat autem ipſe Gregorius prædeceſ-
ſor nonnulla ex ijs, quæ in proceſſibus, & actis de vita, ſanctitate, & miraculis
eiufdem B. Ignatij conſtabant, in eodem conſiſtorio recenſeri: videlicet. Natus
eſt B. Ignatius in ea Hiſpaniarum regione, quæ ad Pyrenæum pertinet, ad oppi-
dum Aſpeithiæ Pampilonenſis Diœceſis, anno Domini milleſimo quadringente-
ſimo nonageſimo primo, ex Beltramo Loiola, & Maria Sanchez nobilibus ca-
tholicis, & pijs parentibus: qui ſimili pietate filium educandum curarunt. Ado-
leſcens ille factus, cum eſſet eximia & animi, & corporis indole, miſſus fuit in cla-
ræ ſimiliter memoriæ Ferdinandi Regis Catholici Curiam: vbi cum inter hono-
rarios pueros aliquandiu manuiſſet; ad tunc exiſtentem Nauarræ Proregem, in
Ciuitate Pampilonenſi degentem, ſe contulit, & rei militari operam dare cepit.
Cumque dicta Ciuitas ab exercitu Gallorum obſideretur; ipſi Ignatio ante alios
dimicanti lapis, ex muro bombardæ vi excuſſus, læuam læſit tibiam; dexte-
ram verò ita confregit, vt ſemiuiuus corruerit: quorum vulnerum acerbam,
grauem, & diuturnam curationem ita patienter tulit, vt omnibus eſſet domeſti-
cis admirationi. Cumque eidem, in lecto affixo, libros profanos, tunc ſic Deo

volente, non repositos, p̄tenti, nonnulli p̄ij libri, legendi causa, porrecti fuissent, ex eorum lectione tam ardentè fuit incensus, ut ingenti sui odio concepto, decreuerit Christi, & Sanctorum vestigia sequi, Hierosolymam proficisci, ut sacra illa loca veneraretur, & fideles in spiritu promoueret, ac infideles ad Euangelium adduceret. Curatis ergo vulneribus, patriam, parentes, res omnes fluxas, & caducas reliquit: & Christo deinceps militaturus, ad Monasterium B. Mariæ de Monte Serrato Ordinis S. Benedicti Viceñ. Diœc. perrexit: ibiq; generali confessione peracta, gladio, & pugione in templo eiusdem Monasterij suspensis, aspera talari tunica indutus, fune præcinctus, nudo capite, baculum manage- stans, totam eam noctem, cui dies festus Angelicæ salutationis illuxit, antè aram eiusdem B. Mariæ Virginis inter preces, & lachrymas vigilauit: seque penitus diuino cultui, nouū exinde militiæ genus sequuturum, addixit. Minoresam inde vicinum oppidum petijt: & ad hospitale S. Lucie diuertit: & in eo, & quodam specu, ad præterfluentis amnis ripam sito, faciens dignos pœnitentiæ fructus, pauperem, atque asperam vitam transegit inter egentes, & sordidos homines, quibus etiam humillimis inseruiebat obsequijs. Post aliquod verò tempus Almam Urbem nostram, & successiuè Venetias, ac postmodum Hierosolymam contendit: & perlustratis sacris locis, ibidem permanere, & animarum saluti incumbere vetitus, redijt ad partes Hispaniarum. Et quò melius posset in spiritu proximis vtilitatem afferre, triginta iam natus annos, Grammaticæ primò in Ciuitate Barchinoneñ, & deinde Compluti Philosophiæ, & Theologiæ per annum cum dimidio operam dedit: ac demum Parisijs omnia illa studia repetijt, ex eleemosynis victitans, & officia charitatis, humilitatis, & pœnitentiæ non intermittens: socijs eiusdem propositi, inter quos fuit Franciscus Xauerius, vir Sanctus, & Indiarum Apostolus, collectis: & voto cum eis nuncupato, ut consummatis studijs inceptis, Euangelica contenti paupertate, Hierosolymā omnes adirent; vnanimi, ac summo conatu saluti proximorum inseruituri: quòd si per annum nauigandi se non offerret occasio, vel Hierosolymis permanere prohiberentur; illo voto absoluti Romam irent, & suam ipsorum operam Summo Pontifici in auxilium spirituale proximi offerrent. Verum cum ex studiorum laboribus, & vigilijs grauem stomachi morbum Parisijs contraxisset; iussu medicorum, & ex sociorum consilio, in patriam redijt, anno eiusdem Domini millesimo quingentesimo trigesimo quinto: ibique per tres menses in hospitali Sanctæ Mariæ Magdalene, ostiatim victum emendicans, & pauperibus inseruiens, tempus sedulò traduxit. Quo transacto, cum conualuisset, Venetias, quò socij ex composito venire debebant, etiam ipse profectus, in ea Ciuitate ad Sacerdotium promoueri voluit: & paupertatis, castitatisque in manibus Hieronymi Veralli Archiepiscopi Rossaneñ, in ea tunc Sedis Apostolicæ Nuncij, votum emisit. Et elapso anno inter eos condicito, & nauigatione in Palæstinam, propter pacem inter Turchas, & Venetos per id tempus subiatā, interclusa; Romam cum socijs venit, anno millesimo quingentesimo trigesimo septimo: vbi à quondam Quirino Garzonio Romano ciue, in quadam ipsius Garzonij vinea
sub

sub Monte Pincio receptus hospitio, constitutam operam piæ similiter memorie
 Paulo Tertio, pariter prædecessori nostro, ad animarum salutem obtulit paratissi-
 mam. Quam causam quò vberius, & cumulatus tractare posset, dictam So-
 cietatem à se institutam, ad tria cum alijs Religionibus communia vota quarto
 adiuncto, per quod peculiarem polliceretur Romano Pontifici obedientiam,
 in missionibus, non petito viatico, etiam ad Infideles, Turchas, Hæreticos, Schis-
 maticos, & quoscunque alios obeundis, à prædicto Paulo Tertio prædecessore
 confirmandam curauit: eamque postmodum optimis etiam constitutionibus,
 & legibus stabilivit: & in Præpositum generalem electus summa cum pruden-
 tia, & probitatis laude moderatus est. Ac post multos labores, IESVM appellans,
 in eadem Vrbe piè obdormiuit in Domino, pridie Kalen. Augusti anni eiusdem
 Domini millesimi quingentesimi quinquagesimi sexti. Vir verè, quem præele-
 gerat Dominus, vt eorum Dux foret, qui portarent eius sanctissimum nomen
 coram gentibus, & populis: & infideles ad veræ fidei cognitionem inducerent,
 ac rebelles hæreticos ad illius vnitatem reuocarent, sui que in terris Vicarij au-
 ctoritatem defenderent. Ornauit enim illum Dominus magnitudine, & excel-
 lentia Fidei, & maxima Spe communiuit, vt satis, superq; eius testantur actio-
 nes. Assiduum autem obsequium, quod pauperibus, & ægrotis exhibuit in ho-
 spitalibus; & eleemosynarum distributio, quas à pijs personis suo ipsius stu-
 dio corrogabat; maxima etiam cura, & studium, quod iam inde à principio
 suæ conuersionis in eo posuit, vt rudes, & pueri doctrinam Christianam perdi-
 scerent; & detentorum in carcere visitatio, ac subleuatio, quam instituit, &
 exercuit accuratè; neenon per vniuersum terrarum orbem missiones, quas fe-
 cit; & Domus, Ecclesiæ, & Collegia, quæ erexit; & in dicta Vrbe, præter scho-
 las Grammaticæ, & humaniorum litterarum, quas gratis aperuit, Collegium
 Germanicum, ac Orphanorum, & Cathecumenorum domus, & S. Marthæ,
 ac S. Catharinæ Monasteria, aliq; loca pia, quæ excitari curauit; & dissiden-
 tium reconciliatio, salubria consilia data; & spiritualia exercitia ab eo compo-
 sita; Sacramentorum frequentationes procuratæ; iniuriarum denique remissio,
 & pro inimicis oratio, quàm ardentè amaret proximum propter Deum, pla-
 nè demonstrant. Deum autem ipsum quantopere diligeret, patet ex illa sum-
 ma cura, & diligentia, qua studuit propter Deum proximo in spiritualibus,
 & temporalibus semper benefacere: & ex maxima vigilantia, qua curauit
 cor suum mundū custodire. A sua enim conuersione nullum in eo deprehensum
 est dictum, factumue, quod transferi posset esse peccatum mortale: omnes suas
 cogitationes, verba, & opera in Deum tanquam in finem referebat, & ad
 Deum, & Dei gloriam, & honorem destinabat. Atque hæc verba, videlicet,
 Ad maiorem Dei gloriam, vti symbolum in ore semper habebat. Prudentia
 quoque fuit in eo admirabilis. In negocijs enim ad Dei honorem peragendis
 prius quidem omnia Deo commendabat: deinde solerti habita consultatione,
 & ratiocinationibus ad examen vocatis, congruentia ad optatum finem adhibebat
 præsidia, & eo pacto contingentia mala facillè declinabat. Eius erga Deum, &

hominēs Iustitiā, aspera vita, & voluntariā pœnitentiā, quibus offensa iam Deo satisfacere se putabat, spiritus Deuotio, & Religio, qua Deo reddidit debitum cultum, & honorem, Gratiudo quoque, quam erga suos, & Societatis benefactores continuo ostendit, & pura Veritas, quæ ex eius ore sine vlla fallacia, sive, fictione, aut obscuritate procedebat, cum cordis puritate, & simplicitate satis comprehendant. Animi præclara magnitudo ex pœnitentijs, obsequio erga ægros, & operibus charitatis, à quibus propter labores & difficultates, irrisiones, iniurias, & contumelias non recessit; sed in illis constanter vsque ad optatum finem perseuerauit; Patientia verò admirabilis, & Mansuetudo ex multis, & ingentibus laboribus, ex opprobrijs, confusionibus, & persecutionibus, libenter, & alacriter pro Dei amore perpeſsis, ex gratiarum actione in maledicentes relata, & beneficijs in iniuriantes collatis apparent. Ieiunium ipse adeò coluit, vt eo tempore, quo fuit Minoreſſæ, & Barchinonæ, per totam ieiunans hebdomadam, exceptis diebus Dominicis, solo pane vesceretur, & aquam biberet: & propter continuatas orationes, & abstinentias semel, & iterum debilis, ac ferè sine viribus est inuentus. Castitatis fuit adeo diligens custos in se, & in alijs, vt in Constitutionibus Societatis voluerit illam suis esse tam perfectè seruandam, vt eniti debeant corporis, & mentisq; munditia, Angelicam puritatem imitari. Profundæ etiam Humilitatis non obscura dedit indicia, dum se ad nouæ vitæ genus accingens, noluit suum audire germanum, sibi familiæ nobilitatem, opes, & in militia strenuitatem, ac futuram inde gloriam repræsentantem: sed statim atque ex morbo, & vulnere conualuit, sæculo nuntium remisit. Idem etiam denotatur, quia in patriam valetudinis causa rediens, cum se à quodam iam cognitum esse animaduertisset, timens honorem, quem & germanum, & incolæ Aspeithiæ sibi exhibituros esse intelligebat, noluit cum eo, à quo cognitus fuerat, via recta Aspeithiam proficisci; sed per montes, & semitas obliquas solus illuc accessit: & nobile palatium cum vilitate humilis hospitalis libentissimè commutauit: nullisq; precibus adduci potuit, vt domum paternam ingrederetur. Denique non solum vanam mundi gloriam, sed se etiam ipsum egregia magnanimitate contempsit. renunciatus enim Præpositus Generalis Societatis, tamdiu id muneris subire recusauit, quoad eius Confessarius ei, vt demandatum reciperet officium, imperauit. Et post receptum munus, vt eos, quos in Constitutionibus ad humilitatem hortatur verbo, firmaret exemplo; primum quidem in coquinæ ministerijs aliquot versatus est dies: tum docere aggressus est pueros, & rudes doctrinam Christianam. Excellentem vero famuli sui sanctitatem comprobari voluit etiam Altissimus supernaturali splendore vultus, quem dum viueret aliquando viderunt B. Philippus Nerius, & quondam Oliuerius Manareus Flander, eiusdem Societatis religiosus; ac testimonio miraculorum: quorum plura etſi ab eo viuentē facta in processibus recensentur, insigniora tamen post eius felicem dormitionem edita probantur. Isabella enim Rebelles Monialis, Ordinem S. Claræ in monasterio

nafterio S. Elizabethæ Barchinonenſi eiusdem Ordinis expreſſè profeſſa, annos
nata ſexaginta ſeptem, dum aliquid operis alto in loco molitur, repente tam
gravi caſu ad terram eſt collapſa, vt coxendicis, ſeu femoris os, quod ma-
ximum eſt in humano corpore, totum fuerit conſractum: & per quadraginta
dies, & vltra adhibitis per Medicum, & Chirurgum, euentu planè irritò, me-
dicamentis; ac dolore, & febrì, quæ ex conſractione ſuperuenerant, non
ceſſantibus, ægrota apud omnes erat citra vllam ſalutis opem, quæ ſaltem
naturalibus parari poſſet remedijs, vt eadem die moritura crederetur: peti-
ta tamen pia cum religione, & impetrata reliquia B. Ignatij, & ſuper coxen-
dicem applicata, ſtatim ſana eſt reddita: & coxendicem, ac tibiam prius tu-
mentem, atque immobilem expedite, ac ſine dolore mouere cæpit: & die
proxima ſurrexit, ac liberè, & perfectè ambulauit. Ioannes Leida Maiori-
cenſis in valdè acutam, & periculoſam febrim inciderat: augebat periculum
maxima ſtomachi nauſea: poſt duodecimum, vel tertiumdecimum diem
aucto periculo cum Deo ſe ſe per merita Beati Ignatij impenſè commendafſet;
ſequenti nocte ſomno excitatus, magno ſplendore circumfuſum cubiculum vi-
dit: & vxorem inclamans, Nonne, inquit, vides me à B. Ignatio ſanatum? &
illuceſcente die ſanus, & valens ſine alicuius auxilio è lecto ſurrexit, & veſti-
bus ſe induit, ac in gratiarum actionem templum Societatis expedite adiit.
Hieronymus Honuphrius Etruſcus, incolà Oppidi Gandiæ Valentiniæ Diœceſ.
puer decennis, cum lethale in ſupercilio prope tempora vulnus accepifſet, pro-
pter quod totius oculi tumor, & vehemens febris acceſſerant; & poſt adhi-
bita per menſem integrum per Chirurgum, ex artis præſcripto, medicamenta,
vulnus non ſolum non ſolidaretur; ſed adeò latum, & profundum eſſet, vt
linamentum digitale inferendum eſſet; ac tanta ſanies, & putredo flueret,
vt Chirurgus ipſe miraretur, & crederet os aliquod intus conſractum; & al-
terum Chirurgum etiam vocari iuſſifſet, & ambo coram infirmo conuenifſent;
remotis faſcijs, quibus vulnus erat opertum, & obligatum, præter omnem
expectationem, meritis B. Ignatij, cui mater pueri voto iam facto illum com-
mendauerat, vulnus illud penitus obductum, clauſum, & ſolidatum inuene-
runt. Magdalena Talauera, in eodem Oppido Gandiæ commorans, cum per
tres annos grauibus laboraſſet obſtructionibus, quæ in hydropiſim, quam
confirmatam appellant, terminaauerant; eiusq; ventrem adeò tumentem, &
inflatum reddiderant, vt ſe de loco ad locum mouere non poſſet, niſi per-
moleſtè; videns remedia per duos Medicos adhibita ſibi nihil profuiſſe, ad diui-
na confugit ſubſidia: & voto Deo facto, ac imagine dicti Beati ventri admo-
ta, ſtatim melius ſe habuit, depulſuſq; eſt morbus obſtructionis, & hydro-
piſis; ita proſuſ, vt intra tres, vel quatuor dies detumuerit venter, & exinde
illa ſe benè habuerit. Ferdinandus Pretel de Mendoza, cum in febrim incidif-
ſet tertianam, quæ mox in duplicem, deinde in peſtilentem vnà cum mentis
ſtupore, & extraordinarijs horroribus, ex humorum abundantia, & virium
naturalium defectu accidentibus, degenerauerat; & multis purgationibus in-
caſſum

callum adhibitis, vis morbi adeo aucta esset, vt à Medicis destitutus in supra-
mo iam mortis discrimine versaretur, tunc confessus, & communionem instru-
ctus, ac sacro perunctus oleo, manibus tenens Imaginem Beati Ignatii, quam
collo pendentem gestabat, & ex toto corde illi se commendans conualescere
cepit, & morbo est liberatus. Anna Barzellona fere sexagenaria, cum toto
biennij spatio morbo paralytis grauer vexata immobilis esset ad omne opus
laboris; & gradus ascendere, aut ex illis descendere non posset, nisi scipioni-
bus innixa; & insuper nouus apoplexiæ in altero latere morbus accessisset; hu-
manis remedijs omnino destitutam se intelligens, voto nuncupato melius se ha-
bere cepit: & toto illo die, ac nocte insequenti inchoata valetudo ita est au-
cta, vt iam illucescente mane sana omnino ad Ecclesiam Collegij dictæ Socie-
tatis accurreret expeditissime; gratias Deo, ac Beato Ignatio redditura. Io-
annæ quoque Claræ; & Noqueræ, mulieri Maioricensi, annos natæ quinquaginta sex, cæcitate laboranti videndi facultatem reddidit Beatus Ignatius. Bar-
tholomæus Contesti Chirurgus adeo acerbis; & diuturnis capitis doloribus
opprimebatur, vt præ nimio dolore sæpe ad terram allideretur: accessit in-
oculorum altero tam grauis inflammatio, vt alterum etiam diuexaret; ita ut
ne tenuissimum quidem lucis radium perferre, aut aliquantulum quiescere
posset: ob idq; in tenebroso conditus cubiculo inde non egrediebatur: & eò
deuentum est, vt ex intolerando dolore non dubitaret affirmare, quòd si qui-
dam Chirurgus iam defunctus in humanis ageret, oculum sibi erui iussurus
esset: religione demum eximia erga Beatum istum incensus, illius reliquiam
ad se afferri iussit: & in puncto, quo fuit illa delata, benè se habuit, capi-
tis, & oculorum cessauit dolor, visum recuperauit, & lucis splendorem sine
vlla offensione sustinuit. Vtq; intelligeretur subitam curationem diuinæ vir-
tutis, atque intercessionis Beati Ignatii tribuendam esse; bis, teruè sacra Reliquia
è cubiculo exportata, dolor redijt: eademq; in cubiculum reducta, illicò mor-
bus discessit: quo facto admonitus Bartholomæus, sacram Reliquiam penes se
retinuit: atque ita intra tres, vel quatuor dies ita perfecte sanatus est, quasi
nunquam ægrotasset. Quo audito Columna Cortei, & Vich, quæ capitis
doloribus ita vexabatur, vt neque noctu quiesceret; & superueniente in vno
oculorum tanto cruciatu, vt palpebram attollere non posset; & cæca deni-
que remansisset; misit, qui eandem Reliquiam ad se deferret: qua allata, &
super oculos, præuia inuocatione eiusdem Beati, imposita, palpebra, quæ prius
per Chirurgos aperiri non poterat, confestim vltro, ac per se cepit aperiri:
cessauit dolor, lucis splendorem Columna perulit, & intra tres dies paula-
tim visum omnino recuperauit, & perfecte conualuit. Ioanna quoque de
Aragona, & Pignatella, Ducissa Terræ nouæ, quæ quatuor iam menses ve-
hementissimo dolore cruciatur ex tumore, & duritie alterius mamillæ; eòq;
reducta erat, vt neque pedes, neque brachia mouere posset, quin sibi viscera
transfigi quodammodo viderentur; ad opem eiusdem Beati confugiens, &
illius Imaginem religiosè de mane venerata, & illi se commendans, Vespere
eiusdem

eiusdem diei sana sine tumore, sine duritie, & sine vlllo doloris sensu reperta est. Demum his, & quamplurimis alijs permotus idem Gregorius prædecessor, ex antiquo Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, tunc suorum, instituto, publico prius, in quo præter prædictos Cardinales, etiam Venerabiles fratres nostri Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi, ac alij Romanæ Curia Prælati, & dicti Gregorij prædecessoris familiares dilecti filij conuenerunt; & dilectus filius Nicolaus Zambeccarius, Aula Pontificiæ Consistorialis Aduocatus, dicti Beati Ignatij merita, & Principum, ac Populorum super huiusmodi Canonizatione vota retulit; & successiuè altero, quod semipublicum vocant, in quo prædicti omnes, ac etiam Sedis Apostolicæ Notarij, & causarum dicti Palatij Auditores dilecti filij interfuerunt; & omnes, quod dictus Beatus Ignatius canonizandus esset, publicis suffragijs iudicauerunt; conuocatis Consistorijs, toto cordis affectu exultans in Domino, eundem Beatum Ignatium, vnà cum Beatis Isidoro Agricola, & Francisco Xauerio inter Sanctos referendum duxit. Præscripto itaque Canonizationis die in festo S. Gregorij Magni nuncupati, quarto videlicet Idus Martij, Pontificatus ipsius Gregorij prædecessoris Anno Secundo; iterum dictus Gregorius prædecessor est hortatus ad iteratas preces, ieiunia, & eleemosynas: vt in tanto opere exequendo, lumen eius, qui lucem habitat inaccessibleem, implorarent ad ea peragenda, quibus diuinæ gloriæ honor, & Catholicæ Ecclesiæ fides augetur. Omnibus verò iuxta Sanctorum Patrum traditiones, sacrorumq; Canonum instituta, & Romanæ Ecclesiæ consuetudinem rite, & rectè peractis, dicta die quarto Idus Martij, idem Gregorius prædecessor ad Principis Apostolorum Basilicam cum Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Prælati, & ipsius Gregorij prædecessoris familiaribus prædictis; necnon dilectis filijs Clero sæculari, & regulari, ac maxima populi frequentia, conuenit: & post iteratas primò, secundò, ac tertio pro Canonizationis decreto petitiones per dilectum filium nostrum, tunc suum, Ludouicum tituli S. Mariæ Transpontinae presbyterum Cardinalem Ludouisium nuncupatum, nomine prædictorum, qui pro ea institerant; post sacros Hymnos, Litanias, aliasq; preces, & post imploratam Spiritus Sancti gratiam, ad honorem Sanctissimæ, & Indiuiduæ Trinitatis, & fidei Catholicæ exaltationem, & Christianæ Religionis augmentum, auctoritate eiusdem Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, decreuit, & definiuit, dictum Ignatium Loiolam, prædictæ Societatis fundatorem, vnà cum Isidoro, & Francisco præfatis, ac Beatis Philippo, necnon Theresia, Sanctum, & Sanctorum Catalogo adscribendum, & aggregandum esse, prout adscripsit, & aggregauit: statuens, vt ab vniuersis Christi fidelibus in eius honorem Ecclesiæ, & altaria, in quibus Sacrificia Deo offerantur, ædificari; & quolibet anno, dicta die illius obitus prius die Kalend. Augusti, festum ipsius, & Officium, tanquam de Confessore non Pontifice, ad formam in Rubricis Romani Breuarij præscriptam, solemniter celebrari possint. Insuper eadem auctoritate omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis,
qui

qui annis singulis ipsius festo ad sepulchrum, in quo corpus eius requiescit, vi-
 sitandum accesserint, vnum annum, & quadraginta dies, ijs vero, qui in eiusdem
 festi octaua id fecerint, etiam quadraginta dies de iniunctis eis, aut alias quo-
 modolibet debitis pœnitentijs misericorditer in Domino relaxauit. Et decan-
 tato solenniter hymno, Te Deum laudamus, & diuina opẽ implorata, S. Igna-
 tij, & aliorum Sanctorum prædictorum meritis, per peculiarem ad id orationẽ,
 quam dictus Gregorius prædecessor piẽ, & solenniter recitauit; Sacrosanctum
 Missæ sacrificium solenni pompa, & ritu, cum eorundem Sanctorum commẽ-
 moratione, ad altare Principis Apostolorum celebravit: & omnibus Christi-
 fidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgen-
 tiam, & remissionem, ad Dei laudem, & gloriam Sanctorum eius, impertitus
 fuit. Ne autem de decreto, definitione, adscriptione, aggregatione, statuto,
 relaxatione, impertitione, alijsq; præmissis, pro eo quod super illis ipsius Gre-
 gorij prædecessoris litteræ, eius superueniente obitu, confectæ non fuerunt,
 valeat quomodolibet hæsitari; Volumus, & Apostolica auctoritate decernimus,
 quod decretum, definitio, adscriptio, aggregatio, statutum, relaxatio, im-
 pertitio, aliaq; præmissa à dicta die quarto Idus Martij suum debitum sortian-
 tur effectum, ac si super illis ipsius Gregorij prædecessoris litteræ sub Datum
 eiusdem diei confectæ fuissent, prout superius enarratur: quodq; præsentis
 nostræ litteræ ad probandum plenè decretum, definitionem, adscriptionem,
 aggregationem, statutum, relaxationem, impertitionem, & alia præmissa vbi-
 que sufficiant: nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Cæte-
 rum, quia difficile foret præsentis nostras litteras ad singula loca, vbi opus es-
 set, deferri; Volumus, vt earum exemplis, etiam impressis, manu publici No-
 tarij subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ
 munitis, eadem vbiq; fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si
 essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginã
 vtriusque voluntatum nostrarum, & decreti infringere, vel ei ausu temerario
 contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omni-
 potentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incurfurũ.
 Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo sex-
 centesimo vigesimo tertio, octauo Idus Augusti, Põrificatus nostri anno Primo.

✠ Ego Vrbanus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.



- ✠ Ego Franciscus Maria Episcopus Ostiensis Cardinalis à Monte .
- ✠ Ego Oct. Episcopus Prænestinus Cardinalis Bandinus .
- ✠ Ego Ioannes Baptista Episcopus Albanen Cardinalis Detus .
- ✠ Ego A. tit. S. Laurentij in Lucina presbyter Cardinalis Perettus .
- ✠ Ego B. tt. S. Mariæ Transtib. Cardin. Beuilaqua .
- ✠ Ego Dominicus SS. Apostolorum Cardinalis Gimnadius .
- ✠ Ego C. Cardinalis tit. S. Cæsarei Madrutius .
- ✠ Ego S. tit. S. Chryfogoni presbyter Cardin. Burghefius maior Pœnitentiarius .
- ✠ Ego Io. Garfia tit. SS. Quatuor Coronatorum presbyter Card. Millinus .
- ✠ Ego M. tt. SS. Quirici, & Iulittæ presbyter Cardinalis Lantes .
- ✠ Ego Io. B. tit. S. Cæciliæ presbyter Card. Lenius .
- ✠ Ego D. tit. S. Martini in montibus Card. Riuarola .
- ✠ Ego

✠ Ego G. tit. S. Crucis in Hierusalem presb. Card. Borgia.
✠ Fr. Felix tit. S. Anastasiae presbyter Card. Afcuianus.

✠ Tib. tit. S. Priscæ presbyter Card. Mutus.

✠ Ego Gabriel tit. S. Barth. in Insula presb. Card. de Trejo.

✠ Ego I. tit. S. Sabinae presbyter Card. Sabellus.

✠ Ego M. tit. S. Mariæ de Pace presb. Card. Klefelius.

✠ Ego S. presb. Card. S. Sufannæ S. R. E. Bibliothecarius.

✠ Ego Guido tit. S. M. de populo presb. Card. Bentiuolus.

✠ Fr. Desiderius tit. S. Clementis presb. Card. de Cremona.

✠ Ego Ludouicus presbyter Card. Ludouifius tit. S. Laurentij in Damafo S. R. E. Vicecancellarius.

✠ Ego Cosmus tit. S. Pancratij presbyter Card. de Torres.

